

& ex quâ conjugatione petita reperiantur. Sed cum clarissimorum
 virorum cordatè sententiam prolatam, & in medium allatam re-
 censuerim, paucis, attamen pro necessitate materiae non angustius,
 de meo reperito, in ventoque atque consilio nunc differam. Atque ut verum
 vel nunc quoque fatear, hoc nondum approbare possum, ut voces
 derivatas annotem sub quaque radice, & hoc est, quod mihi maxi-
 mopere post ordinem naturalè radicum in hoc lexico placet, scilicet
omittere voces à radicibus deductas omnes, quotquot sunt, & quo
uno modo hoc tantum, quantum spero, moliorque, in hoc lexico,
 laboris, impensarum & temporis, molisque ac pretii compendium
 constat. Quod autem vocibus deductis lexicon onerare necesse non
 sit, exinde mihi maximopere probatur, quod hoc sit saltem sine
necessitate lexicon arabicum magnum ac ingens reddere. Non-
 ne jam voces omnes in autoribus extant, nonne, quisquis legis au-
 torem arabicum, voces eas deductas præ te vides? quod si autem eas
 vides, quid opus est illas iterum quærere in lexico? Nonne sufficit
 ibi quæsitâ repertaque radice significationem illam inde petere, quâ
necessariam præsens textus sibi applicari suadet & jubet. Nondum
 mihi licet esse tam perspicaci, ut videre queam, cui usui in lexicis vo-
ces derivatae, sufficit vocum derivatarum habere significationes
latinas, rarioremque constructionem & phrasin latinis verbis expref-
sam, & in genere videre idealem, absolutam, æternamque & per-
petuam, quam propriam vocamus, radicis significationem, cui
reliquæ secundariae sint submissæ. Nonne lexica satis faciunt, si no-
 bis radices exhibeant? Non negè in operibus lexicorum ad fastum
 magis & ambitionem compositis, quale est giggei & dominici ger-
 mani, ipsiusque etiam raphelengii, hoc fieri posse, ut impensæ tantò
 speciosius fiant, bibliothecarumque, quarum causa maximè sic vasta vo-
 lumina proh dolor prodeunt, vestiantur, at verò quando jam satis
 ambitioni datum, nihil dum bono & promiscuo etiam tyronum,
 usui, quis non videt, alio nos utique modo in unum coarctare de-
 bere lexicon, non solum quaecunque conficere, sed maximè vide-
 re, ut pedestre opus ac portatile fieri queat. Studiosis enim, mul-
 tisque iis pauperibus, consulimus, non bibliothecis, quod alii fecerint,
 faciantque, ego malim aliis facere, quod vellem mihi dudum
 fecisset elichmannus, aut magis golius, erpeniusque: videtur autem

tot
 usu
 po
 di
 ne
 qu
 ni
 op
 vi
 me
 ter
 se
 qu
 rin
 po
 eli
 da
 un
 ab
 un
 ces
 qu
 po
 rad
 gni
 des
 dic
 pue
 ple
 arab
 illa
 ci c
 que
 om
 dit
 pos
 voc